

Council of Antioch

INCIPIUNT CAPITULA CONCILII ANTHIOCENI

I. Non licere pascha diverso tempore facere neque cum Iudeis celebrare.

II. Non licere communionem ecclesiae contempnere aut excommunicatis communicare.

5 *III. Non debere clericum ad aliam ecclesiam migrantem ibi perseverare.*

III. Non licere episcopo vel cuicumque clerico, si exauctoratus fuerit, ministrare.

V. Non licere clericis contempto episcopo semote colligere.

VI. De excommunicatis.

10 *VII. Nullum peregrinum absque epistolis suscipi.*

VIII. Ut epistolae a solo chorepiscopo fiant.

VIII. De metropolitanis episcopis .

X. De chorepiscopis.

15 *XI. De his episcopis vel clericis, qui sine litteris episcoporum ad imperatorem vadunt.*

XII. De episcopis vel clericis depositis.

XIII. Non licere episcopis in aliena provincia clericos ordinare.

XIII. De episcopis accusatis.

XV. De quibus supra.

20 *XVI. De episcopis vacantibus.*

XVII. De episcopis, qui accepta manus impositione non adquiescunt suscipere ministerium.

XVIII. De his quibus supra.

XVIII. Non licere sine consilio metropolitani episcopi episcopum ordinari.

25 *XX. Ut bis in anno synodus celebretur.*

XXI. Episcopum de diocesi ad diocesim non debere transire.

XXII. Episcopum non debere in alienam inruere civitatem.

XXIII. Episcopum non licere successorem sibi constituere.

XXIII. De rebus ecclesiasticis et episcopalibus.

30 *XXV. Episcopum habere potestatem in rebus ecclesiasticis disponendis.*

EXPLICIUNT CAPITULA

INCIPIT CONCILIUM ANTHIOCENUM

35 *SANCTA ET PACATISSIMA SYNODUS IN UNUM CONGREGATA HIS, QUI per singulas provincias sunt, unanimis sanctis et consacerdotibus in domino salutem.*

85r

Gratia et veritas Iesu Christi domini et salvatoris nostri sanctam Anthiocenam ecclesiam visitans et in unum conectens, per concordiam pacatissimi Spiritus

multa quidem et alia perfecit. In omnibus autem suggerente Sancto et pacifico Spiritu etiam hoc perfecit, ut, quae visa sunt recte constitui, cum plurima consideratione et iudicio una cum omnibus nobis Anthiochiam ex diversis provinciis in unum collectis episcopis, in vestram notitiam deferantur. 40

Credimus autem gratiae domini et Sancto Spiritui pacis, quod ipsi conspirabitis nobis, tamquam in unam fuissetis virtutem, et nobiscum orationibus adnites, magis autem muniti et in Spiritu Sancto praesentes, iisdem ipsis quae definita sunt consentientes, et ea, quae visa sunt, recta roborantes, consensu Sancti Spiritus consignabitis. Sunt autem praefiniti canones ecclesiastici hi, qui infra sunt scripti, quos subter inserti promulgavere episcopi: Eusebius, Niceta, Antiochus, Arcelaus, Esicius, Iacobus, Heneas, Bassus, Moyses, Macedonius, Teurus, alius Teurus, Paulus, Eustatius, Manicius, Agaphius, Alexander, Patricius, Petrus, Narcissus, Siricus, Mocimus, Etherius, Magnus, Aliphius, Tarcodi, Mantus, Petrus, Anatholius, Cirion, ex provinciis Siria Coelen et Phenicis, Veris, Arabiae, Mesopotamiae. Et hoc constituerunt, quae infra scripta sunt. 45

I. OMNES, QUI AUDENT DISSOLVERE REGULAM sancti et magni concilii Niceni, quod celebratum est in praesentia Dei et amantissimi Constantini imperatoris de sancta et salutari festivitate aschali salvatoris nostri, excommunicatos et abiectos ab ecclesia esse debere, maxime si perseverant studio contentionis ad subvertenda ea, quae optime constituta sunt. Et haec quidem dicta sunt de laicis. Si autem de praepositis ecclesiae aliqui, id est vel episcopus vel presbiter vel diaconus, post hanc definitionem et hunc terminum ausi fuerint in subversionem populorum et perturbationem ecclesiarum seorsum colligere et cum Iudaeis pascha voluerint celebrare, hunc sancta synodus iam alienum ab ecclesia esse iudicabit, tamquam eum, qui non solum proprii peccati reus sit, sed aliorum corruptae mentis, conversationis subplantator extiterit. Et non solum huiusmodi deponi a sacerdotio et ministerio iubet, sed et eos, qui ausi fuerint his communicare post dampnationem. Depositos autem etiam honore, qui extrinsecus est, privari oportet, quem sanctus canon et Dei sacerdotium promeruit. 55

II. Omnes, qui ingrediuntur ecclesiam dei et sacras scripturas audiunt, non autem cum populo in oratione communicant, adversantur autem sanctam assumptionem dominici sacramenti secundum aliquam propriam disciplinam, hos ab ecclesia abici oportet, donec confitentes fructum poenitentiae demonstrent, et deprecati fuerint, ut data venia suscipi mereantur. Non autem licet communicare excommunicatis, neque cum his per domos ingredi, et cum eis orare qui ecclesiae non participant in oratione, nec in alteram ecclesiam recipi, qui ab alia excommunicantur. Quod si quis fuerit deprehensus episcoporum vel presbiterorum vel diaconorum, vel etiam qui in canone detinentur excommunicatis communicare, et hunc oportet communione privari, tamquam ecclesiae regulam confundentem. 60

III. Si quis presbiter, vel diaconus, vel quilibet clericus deserta sua ecclesia ad aliam transeundum esse crediderit, et ibi paulatim temptet quo migravit perpetuo

38 alia] corrected from aliam 47 scripti] corrected from scripsi 48 Esicius] corrected from Etsicius 58 praepositis] corrected from propositis 75 detinentur] corrected from detenentur

45 consensu: cum consensu H; sensu V1341 47 quos ... episcopi: In qua synodo fuerunt episcopi H (W omits episcopi) 51 Veris Arabiae: veteris Arabiae H, but veris Arabiae W before correction 60 seorsum colligere: thus D; retinere H, nitatur hac retinens W 71 licet: liceat H 74 deprehensus: quilibet H

80 *permanere, ulterius ministrare non debet. Praesertim, si ab episcopo suo ad revertendum fuerit exortatus. Quod si et post evocationem sui episcopi non obedi-
erit, sed inboediens perseveraverit, omnimodis ab officio suo deponi debere, nec aliquando spem restitutionis habere. Si vero propter hanc culpam depositum alius episcopus susceperit, et ipse a communi synodo poenam merebitur increpationis, tamquam ecclesiastica iura dissolvens.*

85 *III. Si quis episcopus a synodo fuerit depositus, vel presbiter vel diaconus a proprio episcopo condempnatus, et praesumpserit sacerdotii, seu sacri ministerii quippiam, non ei amplius liceat, neque in alio synodo spem restitutionis habere, neque adsertionis alicuius locum. Sed et communicantes ei abici omnes ab ecclesia, et maxime si postquam cognoverunt sententiam adversus eum fuisse prolatam, et contumaciter communicaverunt.*

90 *V. Si quis presbiter aut diaconus contempto episcopo se ipsum ab ecclesia segregaverit, et privatim apud se collectis populis altare erigere ausus fuerit, et nihilominus episcopo suo exortante et semel et iterum revocante inoboediens extiterit, hunc modis omnibus deponendum. Nec aliquando consequi curationem, aut proprium honorem recipere speret. Quod si etiam perseveraverit perturbans* 85v
cunctam ecclesiam quae foris est tamquam seditiosum corripere oportet.

100 *VI. Si quis a proprio episcopo excommunicatus est, non eum prius ab aliis debere suscipi, nisi aut a suo fuerit receptus episcopo, aut concilio facto episcopis occurrat, et respondeat. Et si synodo satisfecerit, statuerit, sub alia eum sententia recipi. Quod etiam circa laicos, et presbiteros, et diaconos, et omnes qui in clero sunt, convenit observari.*

VII. Nullum absque formata quod Greci epistolam dicunt, peregrinorum clericorum suscipi oportet.

105 *VIII. Neque presbiter ad regiones longinquas formatas, id est canonicas epistolas, nisi ad episcopos finitimos simplices epistolas mittere praesumat. Vicariis vero episcopis, qui a Grecis chorepiscopi appellantur, formatas facere liceat.*

110 *VIII. Per singulas provincias episcopos singulos scire oportet, episcopum metropolitanum qui praeest, curam et sollicitudinem totius provinciae suscepisse. Propter quod ad metropolitanam civitatem, ab his qui causas habent concurratur. Quapropter placuit eum et honore precellere, et nihil ultra sine ipso reliquos episcopos agere secundum antiquum patrum nostrorum canonem, nisi hoc tantum quae uniuscuiusque ecclesiae per suam diocesim competit. Unumquemque enim oportet episcopum habere suae diocesis potestatem ut regat et gubernet secundum competentem singulis reverentiam et providentiam gerat omnis regionis, quae sub ipsius est civitate. Ita ut etiam ordinare ei presbiteros, et diaconos pro-*

79 Praesertim] erroneously, Persertim 80 post] corrected from potest 99 statuerit] et statuerit before correction (et expunged); alternative in margin: vel statuimus 115 etiam] corrected from etiam

82 Si: Si quis H 83 ipse: ipsi H 88 abici omnes: omnes abici H 90 et: also W; ei H 91 contempto: contempto suo H 98–99 episcopis: lacking in H 99 satisfecerit: satisfecerit et H 100 recipi: recipi oportet H 102 epistolam: epistolium H 104–105 epistolas: epistolas dare H 105 praesumat: lacking in H 105–106 Vicariis ... episcopis: Vicarius vero episcopi W, otherwise vicarios vero episcopos H 110 precellere: prebere W, praeire H 111 nostrorum: nostrorum, qui obtinuit H 112 competit: competunt H 113 habere ... gubernet: potestatem habere et suae diocesis ad hanc gubernandam H (W omits potestatem) 114 singulis ... regionis: sibi reverentiam ad providendum regioni H 115 ei: after diaconos in H, but omitted entirely in W; here restored ex ingenio

babili iudicio liceat, et de singulis ipsius regionis causis moderatione et pondere disceptare. Ultra autem nihil agere permittitur, citra metropolitani episcopi conscientiam. Nec metropolitanus, sine ceterorum aliquid gerat consilio sacerdotum.

X. Chorepiscopi, qui manus impositionem ab episcopis susceperunt, et ut episcopi sunt consecrati, tamen placuit sanctae synodo eos modum proprium retinere et gubernare adiacentes sibi ecclesias et esse contentos propria sollicitudine et gubernatione, quam susceperunt. Constituire autem his permittitur lectores et subdiaconos atque exorcistas, quibus sufficiat, istorum tantum graduum licentiam accepisse. Non autem presbiterum, non diaconum audeant ordinare, praeter conscientiam episcopi civitatis vel ecclesiae cui adiacens invenitur, seu ipse seu regio in qua praeesse dinoscitur. Quod si quis prevaricare ausus fuerit constituta, deponi eum et dignitate qua praeditus est debere privari. Chorepiscopus autem ab episcopo civitatis vel loci cui idem adiacet, ordinandus est.

XI. Si quis episcopus vel presbiter vel omnis omnino qui est sub ecclesiastica regula constitutus praeter consilium vel litteras eorum episcoporum qui sunt intra provinciam, et maxime metropolitani ad imperatorem perrexerit, hunc abdicari et eici non solum de communione, sed etiam propria dignitate privari, tamquam molestum et inportunum imperialibus auribus contra ecclesiastica constituta. Si autem necessitas cogit ad imperatorem excurrere propter aliquam actionem, cum deliberatione et consilio metropolitani ipsius provinciae episcopi, et ceterorum conscientia episcoporum qui in eadem provincia sunt atque cum eorum litteris ire debet.

XII. Si quis a proprio episcopo depositus presbiter vel diaconus, aut etiamsi a synodo quilibet episcopus fuit exauctoratus molestiam imperialibus auribus inferre non praesumat, sed ad maiorum episcoporum synodum sese convertat, et quae se putat habere iusta in eorum concilio alleget, atque ab his de se exspectet, quae fuerit deprompta ex sententia. Quod si deficiens pusillanimitate hoc noluerit facere, sed imperatori fuerit inportunus, huiusmodi nullam veniam habeat, neque locum ullius adsertionis suae, nec spem recipiendi gradus habeat in futurum.

XIII. Nullum episcopum audere debere ex alia provincia ad aliam transitum facere et ordinare aliquos in ecclesiis, aut praeferre ad sacrum ministerium. Nec alios illuc adtrahat episcopos, nisi forte per litteras rogatus abierit. Non solum autem a metropolitano, sed ab his qui cum eo sunt omnibus ipsius provinciae episcopis. Quod si nullo invitante inordinate superveniat, et aliquos vel ordinare praesumpserit, vel quoslibet actus illi ecclesiae competentes qui ad se minime pertinent usurpare temptaverit, vacua quidem et inania erunt omnia quae gesse-

124–125 conscientiam] corrected from consciam 127 praeditus] corrected from praedictus 128 idem] corrected from cuidem 145 audere] corrected from aut deire aliam] corrected from alium 146 praeferre] corrected from proferre 150 competentes] corrected from competens se minime] erroneously, se minine, corrected from semine

116 ipsius ... causis: not in H 117 agere permittitur: agendum permitti H, permittit W 119 X ... qui: Qui in vicis et villis constituti sunt chorepiscopi, tametsi H; Qui in villis et in vicis constituti sunt chorepiscopi tamen si in W 119–120 et ... eos: placuit sancto synodo scire eos oportere H 121 ecclesias: ecclesias commissas H 123 atque: et H 132 communione: communione debere H 135 metropolitani: metropolitanae H metropolitani ... provinciae: metropolitanae provinciae H 136 episcoporum: not in H atque ... eorum: not in H 139 fuit: fuerit H 142 ex: lacking in H hoc: lacking in H 146 praeferre: provehere H, proferre W 148 autem: not in H omnibus ipsius: not in H 150 qui ... se: ad se quae H

rit. Ipse vero huius indisciplinati ausus, et irrationabilis coepti dignus causas expendat, tamquam depositus a sancta synodo, et propter huiusmodi praesumptionem iam praedampnatus.

155 *XIII. Si quis episcopus de aliquibus causis criminalibus in iudicio episcoporum fuerit accusatus, contingat autem de ipsis episcopis provinciae qui convenerunt diversas habere sententias, et alios quidem innocentem eum pronuntiare, alios reum, propter huiusmodi itaque controversiam amputandam, placuit sanctae synodo metropolitanum episcopum alterius vicinae provinciae advocari, et*
160 *aliquantos cum eo episcopos alios, qui pariter residentes quaecumque fuerint dirimant quaestiones, propter hoc ut firmum sit iudicium, quod ab unius provinciae episcopis fuerit promulgatum.*

86r

XV. Si quis episcopus criminaliter accusatus ab omnibus qui sunt intra provinciam episcopis exceperit unam consonamque sententiam, ab aliis ulterius iudicare non poterit, sed manere circa eum oportet, tamquam convenientem quae ab omnibus prolata est, firmam ratamque sententiam.

XVI. Si quis episcopus vacans in ecclesiam vacantem supervenerit, et hanc obripienter praeter plenariam synodum occupandam esse crediderit, hunc abici oportet, quamvis eum plebs quam diripuit velit sibi episcopum retinere. Illa autem dicitur synodus plenaria, in qua etiam episcopus metropolitanus adfuerit.

XVII. Si quis episcopus suscepta manus inpositione, et deputatus populis praeesse non suscipiat ministerium sacerdotii nec consentiat habere ecclesiam in qua fuerat ordinatus, hunc incommunicabilem esse debere, donec coactus consentiat plebem suscipere sibimet deputatam aut provinciae plenaria synodus episcoporum de eo aliquid statuatur.

XVIII. Si quis episcopus ordinatus non abierit in parrochiam cui ordinatus est, si non suo vitio sed plebis forsitan contradictione, hic honorem susceptum retinere debet et sacerdotio fungi, ita ut nihil molestiae adferat ecclesiae illi, in qua fuerat constitutus. Expectare autem eum oportet provinciae plenariam synodum, donec de eo quod competit statuatur.

XVIII. Episcopum non ordinandum sine consilio et praesentia metropolitani episcopi, cui melius erit si ex omni provincia congregentur episcopi. Quod si fieri non potest, hi qui adesse non possunt propriis litteris consensum suum de ipso designent, et tunc demum post plurimorum sive per praesentiam sive per litteras, sententia consona ordinetur. Quod si aliter quam statuta sunt fiat, nihil valere huiusmodi ordinationem. Si vero etiam secundum definitas regulas ordinatio celebratur, contradicant autem aliqui propter proprias et domesticas simultates, his contemptis sententia de eo obtineat plurimorum.

XX. Propter ecclesiasticas causas et quae existunt controversias dissolvendas, sufficere visum est bis in anno per singulas provincias episcoporum concilium fieri. Semel quidem post tertiam ebdomadam paschalis festivitatis, ita ut in

174 deputatam] corrected from deputatum 178 debet] corrected from debet 191 festivitatis] corrected from festivitas

152 dignus: dignas H 159 advocari: advocare H 160 fuerint: fuerit H 161 quaestiones: quaestionem H 164 iudicare: iudicari H 169 quamvis: tametsi H, tamsi W 181 sine ... praesentia: praeter consilium et praesentiam H, sine proconsilio et prescientia W 185 sententia consona: sententiam consonam H

quarta ebdomada quae consequitur, id est media pentecoste concilium compleatur. Admoneant autem provincialiales episcopos, hi qui in amplioribus, id est qui in metropolitanis civitatibus degunt. Secundum vero concilium, idibus octobribus habeatur, qui dies apud Grecos hiperberiti mensis decimus invenitur. In ipsis autem conciliis et presbiteros et diaconos, praesentes esse oportet, et omnes quotquot se lesos existimant, et synodicam expectare sententiam. Nec liceat aliquibus apud semetipsos concilia sine metropolitanorum episcoporum conscientia facere, quibus de omnibus causis constat permissum esse iudicium. 195

XXI. Episcopum de diocesi ad diocesim alteram non debere transire, neque si se ipsum ingesserit, neque si a populis fuerit violenter adtractus, neque si etiam hoc eis ab episcopis suadeatur. Manere autem eum debere in ecclesia dei quam ab initio sortitus est, et non ab ea alibi demigrare, secundum regulam super hoc olim a patribus constitutam. 200

XXII. Episcopum non debere in alienam intruere civitatem, quae illi probatur non esse subiecta, neque in regionem qui ad eius curam minime noscitur pertinere ad aliquid ordinandum. Neque presbiteros aut diaconos constituere, ad alios episcopos pertinentes, nisi forte cum voluntate et testimonio propriae regionis episcopi. Quod si quispiam horum tale facere voluerit, irrita quidem erit huiusmodi ordinatio, et quae male usurpaverit, a synodo arguantur. Nam si ordinare non potuerit, nullatenus alterius parrochianum iudicare presumat. 205 210

XXIII. Episcopum non debere tamquam successorem sibi futurum constituere alterum, quamvis circa vicinia mortis habeatur. Quod si tale aliquid factum fuerit, irrita sit huiusmodi ordinatio. Custodire autem debet ecclesiastica constituta quae ita se continent, non posse aliter episcopum fieri, nisi in concilio et consensu episcoporum, eorum dumtaxat qui post obitum eius qui praecessit habuerint potestatem, eum qui dignus fuerit provehendi. 215

XXIII. Quaecumque res ecclesiae sunt, convenit cum omni diligentia et bona fide quae deo debetur qui omnia praevidet atque iudicat quaeque gubernare oportet, et dispensari cum iudicio et potestate episcopi, cui totius plebis animae videntur esse commissae. Manifesta autem esse oportet quae ecclesiae competunt cum notitia eorum presbiterorum et diaconorum qui circa ipsum sunt, ut ipsi non ignorent nec eos aliquid lateat eorum quae sunt propriae ecclesiae. Ut si contigerit episcopum de hac vita migrare, manifeste sint et notae res ecclesiasticae ne intercidant atque depereant. Sed nec res propriae episcopi tamquam obnoxiae rerum ecclesiasticarum, occasione ullius pulsantur iniuria. Quia iustum et acceptum est apud deum et homines quae propria sunt episcopi, quibus ipse iudicaverit derelinqui, et quae ecclesiae ipsi reservari. Ita enim fit ut nec ecclesia 86v 220 225

193 qui in¹] corrected from qui in 200 de] added 215–216 consensu] corrected from cum sensu 218 sunt] corrected from sint 228 nec ecclesia] corrected from in ecclesia

206 qui: also W, but quae H noscitur: dignoscitur H 207 aliquid: aliquod H 208 voluntate ... testimonio: consilio H (but W omits) 209 facere: aliquid audere H, aliquid facere W 210 quae: qui H arguantur: arguatur H 210–211 Nam ... presumat: not in H 215–216 consensu: cum consensu H (see critical apparatus) 216 post ... eius: post obitum illius H, postulabat umilius W 219 fide quae: fide servari illa scilicet fide quae H qui ... iudicat: omnia praevidenti atque iudicanti H gubernare: gubernari H 222 cum notitia: not in H qui: id est qui H (W omits qui) 224 manifeste sint: cum manifestae sunt H 226 ullius: illius H 226–227 acceptum: decibile H, civile W 228 ecclesiae: ecclesiae sunt H

230 *damno aliquo affligatur, nec episcopus occasione rerum ecclesiasticarum pro-*
scribatur, neque pertinentes ad eum in causas incurrant, atque post mortem me-
moriam eius maledictis aliquibus oneretur.

235 *XXV. Episcopum habere oportet rerum ecclesiasticarum potestatem, ad dis-*
pensandum omnibus indigentibus cum omni timore et reverentia dei. Ipsum quo-
que ex eis percipere atque uti debere quibus indiget, si tamen indiget, vel ad suas
necessarias expensas, vel fratrum qui apud eum hospitalitatis gratia commoran-
tur; ut nulla ex parte per inopiam defraudentur, secundum apostolum dicentem:
Habentes victum cotidianum et tegumentum corporis, his contenti sumus. Quod si
his minime contentus atque sufficiens, transferat in necessitates ecclesiasticas res
vel commoda quaelibet ecclesiae, aut agrorum ecclesiasticorum fructus, sine
240 conscientia presbiterorum apud se redigat, et domesticis suis vel etiam adfinibus
aut fratribus aut filiis earum rerum tribuat potestatem, ut per eorum secretam
diligentiam, ecclesiastici laedi videantur. Reatum hunc qui huiusmodi est apud
metropolitanum provinciae praestare debet. Quod si taliter reprehendatur epi-
scopus vel hi qui cum ipso sunt presbiteri quo dicantur haec quae ad ecclesiam
245 pertinent, sive de agris, sive de aliis quibuscumque ecclesiasticis causis eos sibi-
met usurpare, pauperes vero necessitate et penuria opprimi atque ex hoc ipso
non solum ecclesiasticae rationi, verum etiam dispensatoribus eius maledicta
reprehensio augeatur, hunc enim correctionem oportet mereri, id quoque conde-
cet sancta synodo cognoscente.

250 *Eusebius omnibus, quae constituta sunt, praesens subscripsit. Theodorus,*
Niceta, Macedonius, Anatholius, Tharchodi, Mantus, Etherius, Narcisus, Eusta-
chius, Esicius, Manitius, Paulus, et ceteri quorum nomina in Greco iam superius
continentur consenserunt et subscripserunt.

EXPLICIT ANTIOCHENUM CONCILIUM

230 incurrant] corrected from incurrunt 232 rerum] corrected from reum 240 adfinibus] corrected from afinibus

230 atque: quo H, quod W 232 oportet: not in H rerum ecclesiasticarum: ecclesiasticarum rerum H 238 necessitates: necessitates domesticas H 239 sine: citra H, cetera W 242 diligentiam: diligentiam ceteri H, diligentiam liceri W 248–253 hunc ... subscripserunt: hos (hoc W) igitur correptionem H 248 id quoque: quae H 253 consenserunt ... subscripserunt: consensimus H